



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Vita, Et Gestis S. Francisci Xaverii È Societate Iesv Indiarvm Apostoli Libri Qvatvor

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1666

58. Gomezius Regem Tanoris, eximiè iuuat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10854

lum explicatae lux veritatis vt suadentibus daret manus, ablueretur à Vicario sacro fonte, Ioannis appellationem, in gratiam Lusitaniae Regis, in nominalibus optaret. Hunc ad sanctum Baptisma Regina sequeretur, eique Christiano ritu confociaretur nouo coniugio. Clam & tacite omnia, Rege cultum, & mores exterius; & quòd esset Bracmanes, sectae suae notas retinente. Sunt autem haec trium intextus filorum in vnum contortus funiculum, cuius extremum in tria definit capita ex filis singulis tribus circumplexa, & dissimulari fortassis poterant insignia haec apud Indos non tam Bracmanum ethnicorum, quam Philosophorum; sed nequaquam fas erat ei annuere, vt ritus Maurorum, & Idolorum publicè usurparet, quos ad auertendam à se suspicionem legis Christianae, licere sibi exterius, animo fingebat, modò fidem Christo, mente integram seruaret. Eam ob rem eius crucifixi appressam pectori sub veste gestabat effigiem, & cum eo identidem flens colloquebatur, cruciatuum eius acerba mollitus recordatione. Attamen propria seu conscientia reclamante, seu cordatoris alterius aduersus tam caecam simulationem, admonitu, opinionem sceleris ei obiectante, vt se religione liberaret, scripsit ad Episcopum Goanum, professus se mente tam solida fidem seruare, vt esset sibi corona ipsa, vitaque carior; paratum praeterea ad Christianismi disertam ostentationem, sed arbitrari differendam, haud tam ad regnum sibi asserendum, quam Ecclesiae acquirendum; se suos sensim ad Christum Naires pellecturum, compositurum pacem vicinis cum Regibus; hinc nullo rerum nouarum timore, & quòd erat optandum praecipue, constabilitate spe regni ad fidem inducendi, solemni more Christiana sacra publicè professurum. Ad se interea Apostolum aliquem destinaret, (Societatis homines hoc vocant nomine) animi consiliarium, & ductorem: cui esset Tanore constructionem Ecclesiae prope Palatium concessurus, pignus fidelitatis suae constantis, & candidae. Itum super his literis in consilium frequens ab Episcopo, & Governatore Indiae Georgio Cabrale; vocati viri nobiles triginta, Custos aedis maioris, & alij qui praestare scientia videbantur, vbi post officia regi beneuolo referenda, cum ad rem ventum est, & vtrumque disertum, an posset inculpate ethnicum palam simulare, pudor est scribere, ab eius mensura hominibus pronuntiatum id licere. Quorum rationes ad Lusitaniae Regnam cum aliis literis ab Episcopo missae, tamen meas in manus venerint abstineo reddere, quòd non dicam nihil probent; sed nec vilo colore tam crassum iudicij errorem excusent. Malim eam ab iis creditam non simulationem ethnici, sed dissimulationem solum Christiani. Quicquid sibi persuaserint boni viri, Regis dubiam mentem ita confirmarunt, vt nouem inde mensibus pergeret cultu & moribus ethnicum gerere. Lectus quidem illi est diuinorum magister Theologus, cui negotium datum Regi suadere, vt Deo confusus, laruam ethnicismi quamprimum abiceret. Fuit is Antonius Gomezus, qui rogatu Episcopi, & Governatoris ad eum statim nauigauit, susceptaque illius institutione, diuina myste-

58
Gomezus
Regem Tanore
ris, eximie
innat.

tia

ria quotidie illi explicuit, & præceptiones Christianè viuendi; vtque ab iis longiffimè aberat quæ Goæ confiliarij, licere Regi decreuerant, habilitate ingenij sermonem eò sapiùs trahebat, vnde Rex facile conficeret, quàm iniquè sibi de Christianismo blandiretur, simulatione sacrilega prætexto. Quibus tandem euicit Gomezius, vt sanctè promitteret, se pace cum inimicis regibus inita Goam confestim profecturum, & quòd animo premebat Christiani nomen, vitamque publicè editurum. His promissis erectus Gomezius Prouinciam ipsemet suscepit conciliandorum ei hostium, ad octingenta millaria itineris vltro citroque percurfans, infensos Principes conuenit, per loca latrocinijs barbarorum infesta, ex quibus non abique miraculo excessit incolumis, & laboriosæ industriæ prouentus melluit, prima sua expectatione etiam largiores; nec enim solùm, inter Reges pacem constituit, sed cum arderet totus studio salutis alienæ, apte vltus legati potestate, Somorino Christum prædicauit, (hoc est Imperatori, sic enim ob ditionis amplitudinem dicitur) & Regibus Ciales, Cetuæ, & Cocini, qui fidem ipsi iuratis chirographis dedere, si Rex Tanoris fieret Christianus; se illius exemplo fore Christianos. Post hæc reuersus Gomezius, Regem deprehendit ad præstanda promissâ non modo promptum, & alacrem, sed moras ferentem impatientiùs, quibus appulsuro solemnibus pompa Goæ instrucebatur à Gubernatore. Hic verò Naires, Regni Regisque potissimùm columen, quibus pridem suspecta Regis mens, eo profectionem adornante, vehementissime perturbati, regnum illi erant vitamque erepturi, nisi eos quo illum diligebant amor incredibilis tenuisset; postquam enim rescitum de nauigatione illius in Lustaniam vt Christo illic nomen daret, nihil admodum turbatum propterea extitit, præter coniurationem aliquam, affectuum, magis beneuolam; quàm iratum aut odij perduellem; tametsi, vt à Barbaris, violentiæ plus quàm obseruantia præferentem. Mare itaque Goam versus ingresso, vnde octo naues illi occurrebant; ex primoribus Satrapa cum turma Nairum viam intercipit, contestatus omnium nomine, si latum vnguem vltius tenderet, se suo cuiusque gladio in eius oculis casuros, & strictum hic ferrum suo quisque pectori obuertit. Rex quanquam suomet grauius quàm eorum periculo percussus, dissimulato confidèter metu, obiurgauit eorum in dominum suum tantos ausus, sed pergentem, mutato necandi sui vel consilio, vel furo, cingunt admodum reuerenter, & arce proxima concludunt; quàm vt triplici muro putarent satis tutam, ita portis exceptis incustoditam neglexere, sed facile reperit quàm se inde ab iis eximeret, quamuis casu tantum non lethali; Fune siquidem ad cerui cornua quæ forte animaduertenter illigato, infertisque in ea muri pinnis per demissum ex primo, & secundo funem feliciter lapsus est; tertio muro quod esset editior, delabentem fumis breuior deseruit, coactusque quod deerat præcipitio supplere, caput saxo, faciemque illis, maiori periculo quàm damno, crucifixi fortassis, quàm vitta fronte adstrinxerat icone seruatus. Deprehensam fugam Naires infe-

stantur, sed is cursu ad flumen eos praeuenterat, ubi naues Goanae in altera ripa, Rei exitum oppetiebantur, ad quas natando dum traiecit, nihil propius abfuit quam ut mergeretur, Deus etiam tum ab eo exitum defendit. Cis flumen Naires conclamant, manus manibus, solum frontibus feriunt, comploratione ac vocibus reuocant abeuntem. Quibus ille nihil motus, ne conspectu quidem, necdum mutuis vocibus illos dignabatur, donec Lusitanis enixè rogantibus induci passus est, ut se illis praeberet spectabilem, vultu admodum sereno illos intuitus, salutatis innuit ut abirent, & naui se condidit; illi post demissam corporis proclinationem ei exhibitam lugentes rediere. Goæ pompæ feruebat instructio quæ illum exciperet; dubitabatur an ut Christiano, quod nondum aperte prætulerat, an ut alieno honores haberentur, & census ut pro Christiano. Octobris vigesimo altero & anno 1549. solenni omnium ordinum superboque ornatu, & occurso urbem ingressus est, Episcopo etiam Pontificis vestibus fulgente, & manu crucifixam gerente. Tonabant ex aere aerea machinæ, viæ pretiosis vestitæ pannis, instratæ floribus, choris musicis distinctæ, gesticentis ubique lætitiæ vocibus personabant. Ductus in templum maius, sacro interfuit; biduo post, sacro apud nos crimine, quod expetierat vinctus est. Episcopo, difficile dictum est, quam se præbuerit obseruantem, patrem eum compellans, eius de genibus factam poscens adprecationem; conscientiæ suæ causas, & dubia eius sententiæ permittens; de diuinis porro quoties sermo erat, mirum qua teneritate, quot lacrymis, quam piis supra Neophytam sensibus audiret. Quorum admiratione id saltem effectum ut multi ad Christum accederent ethnici, ex quibus regni Ciales Minister, & Caimalis quidam amplæ toparchiæ dominus. Dies Goæ decem transegerat regia semper magnificentia, sumptibus, spectaculis varij generis recreatus, ultra quam forte causæ expediret; cum adest illi è regno nuntius & literas reddit; quid ferrent, ignoratum; sed reuocari se causatus, & omnino eundem absque vlla mora iustulit anchoras. data fide se nunquam promissis defaturum, obseruaturum semper amicitiam Serenissimi Lusitaniæ regis; & breui omnes quibus imperabat ditiones sociaturum Christianitati. iam residua miseri Principis tam longinquos ab omni quam fecerat expectatione successus nacta sunt, ut Scriptori aequè, & legenti stuporem inducant. Prorsus in iis quæ diximus simulatione aliqua, priuatis suis commodis studuisse, nulla est suspicandi vmbra; nec cogitari vnquam, fingiue animo potuit, cur ad eò turpiter à fide defecerit. Redux enim ad suos, quem consecutus olim erat viuendi morem repetiit; nunquam palam est factus se esse Christianum; sui vero cuiusmodi essent susceque habuit. Adiere illum Episcopus cum Governatore, id modò expressere, ut pro Palatij foribus defigerentur cruce duæ; piscatores (quibus illic vilis nihil est) vel exigerentur regno, vel Baptismo initiarentur: Naires, & Brachmanes Regi gratum facturos, si se profiterentur Christianos; sed cum secretiori iussu mandaretur ne quis propterea

pterea ad hoc induceret animum, res eodem quo prius loco pernicioso, & miserabili consistere.

Redeamus nunc ad feliciora, ut fuere Patrum Cocini labores. Illic Franciscus Henrichez, Baltazar Gagus, & Antonius Eredia, animorum magisterio insignes, inter alia iuvenes educabant centum quinquaginta quos ab Lusitanis Irdisque parentibus vtilitate legendi & scribendi capris, ad se pellexerant; docebant autem præ omnibus, veræ fidei rudimenta moresque Christianos, tam fausto disciplinæ successu, qui vel solus posset bonam vrbs partem facere meliorem: species virtutis in aratula innocenti, & libertas efficax arguendi quicquid peccaretur in legem diuinam, dici non potest, quantum traheret admirationis; ducebant suos parentes liberi ad sacrum Tribunal confessione expiandos; cogebant sub noctem familiam, ad pias preces concinendas; docebant mancipia quæ scire oportet Christianum; in schola discipuli, domi præceptores. Nec erant hi fructus aut probæ indolis, aut innatæ virtutis, aut paternæ ad pia rectaque educationis; ferè siquidem Barbaris, & ethnicis orti, cum vita & lacte, ex iis vitia luxerant, impudicitiam maximè, deique contemptum; iis ergo quod habebant boni, magistrorum assiduitas strenua, id omne Deo adiuuante insueuerat, cui profectò vicissim eximie pueri respondebant, iique inprimis qui norant se ritu sacrilego, cum nascerentur in hanc lucem fuisse Idolis consecratos; idolorum odio, & eius sceleris vindicta, penetrabant se clam in domos ethnicorum, suffurabantur eorum Pagodes, & omni contumelia deturpatos, conterebāt, fructis quæ Patri pro testimonio fidei afferrēt seruatis. Tædio fuerit multa similia scribere quæ ut aliis locis, ita Cocini à Patribus fructuosè sunt gesta. Sed Regis Maldiarum non est prætereunda conuersio, Antonij Eredia post Deum opus. Maldiarum autem si rectè Geographi notarunt, vndecim millia numerantur, angustæ sunt insulæ, multæ steriles & desertæ, omnes in Oceani tractu sitæ qui ab iis Maldiarum vocatur, in gradum productæ decimum supra centum, Æquinoctij linea diuiduntur, & à Phœnicia, siue Euronoto ad Caurum porriguntur, quodque maris interflui angustissimo iungantur potius, quam separentur ductu, solida oculis apparent insula. Regem vnum agnoscunt vniuersæ: Mahometem sectantur, mutatione pessima ex Idolis ad eum transgressæ annis ante triginta quam ea quæ narro contingerent. Orto igitur bello Maldiuanos inter, & eorum Regem annorum viginti iuuenem, & coniuratorum tunc viribus imparem Cocinum confugit, vitæ saltem si regno non poterat consulurus, confusus nihilominus Lusitanorum armis se restituendum. Exceptus domi à Patribus, eorum partim euinentibus exemplis, partim Xaverij qui superuenerat allocutione, sed magis precibus à Deo flagitantis hanc sibi donari animam, quæ regnum integrum esset Ecclesiæ donatura, veritati denique acquieuit, & solenni ritu, ab eo lustratus est. Iamque Patres cum Rege, & Lusitanorum exercitu parabant conscendere, ut recuperatum ab eo regnum rudimento salutis imbuerent, sed heu!

quòd

59

Cocini Patris labor, conuersio Regis Maldiarum.